



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendivm Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.  
Emanvelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi  
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

**Rodrigues, Manuel**

**Lvgdvni, 1621**

Epicheïa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41743**

170      EPICHEIA.

rit. Inter quas hoc est discriminis; quod lata ab homine , moritur mortuo homine , vel ablato eo ab officio , quoad eos qui antè non incurrerunt; at lata à iure minime. *to.*  
*2.q.60.art.1.*

Multæ sunt censuræ & excommunicationes , quæ in sacris Canonibus , Regularibus imponuntur. Verùm multæ earū iam non ligant; quia per contrariam consuetudinem , aut non vsum , aliisve modis sunt sublatæ. *art.2.*

EPICHEIA.

**E**PICHEIA est æquitas , seu iustitia dulcore misericordiæ temperata,cuius officium,seu proprius actus est , in casibus specialibus discedere à verbis legis,seruata tamen eius intentione , pensatis omnibus circumstantiis. *tom.2.q.46.art.2.*

Hæc virtus maximè necessaria est ad regimen Regularium,& tranquillitatem Religiosorum , qui aliquando literales tantum existentes maximis scrupulis succumbunt ; ad cuius intelligentiam hæ Regulæ constituuntur.

C. Inter

E P I C H E I A .      171

1. Inter duram, & benignā interpretationem diuini præcepti, & humani in dubiis, cæteris paribus , benignior est semper sequenda.

2. Neque Deus , neque Ecclesia, suis præceptis nos obligare ad vix possibile , aut nimis difficile ( quod mōraliter & ciuiliter dicitur impossibile ) intendit : alias iugum Christi non esset suave.

3. Nec Deus , nec Ecclesia intendit suis præceptis obligare , sic quod quis ea implendo , sit, vel appareat fatuus , aut quod bona tollatur vrbanitas , aut conuictus honestus cum aliis hominibus , neque consulit , vt sic se habeat homo , vt aliis risui sit, saltem apud viros bonos & discretos. Nec cum graui scādalo aut damno præsertim spiritali , iudicio prudentum , quod in hac & priori regula debet attendi.

4. In dubiis vita sensusque communis virorum bonorum sumi debet in exemplum , & regulam viuendi.

5. In his quæ sunt mala quia prohibita, iure tantūm humano excusat consuetudo præscripta , aut legi

legitima, quia tollit legem, & est eius interpres.

6. In quolibet casu prætermittens facere quod lex imponit, excusari potest à peccato saltem mortali, quamvis non semper à veniali, si hoc facit bono animo virtute epicheiæ, sine contemptu, ratione alicuius periculi, necessitatis, seu circumstantiæ consideratæ; putans se non peccare mortaliter, paratus nullo modo facere, si putaret esse mortale. *Vide dispensatio quoad vota.*  
art. 2.

## EXEMPLAR.

**D**eductum ex originali licet iure non valeat, nisi citata parte, cuius interest, saltem edictio generali: hoc tamen non habet locum apud Minorum. Voluit enim Leo X. quod transsumptis quarumlibet literarum Apostolicarum Fratribus Minoribus Observantiae concessarum manu Notarij publici subscriptis, sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticae, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibetur in iudicio, vel extra, quæ ipsis

ori